

DE ANGELI POLITIANI NOTIS IN CICERONIS LIBROS
DE ORATORE

In bibliotheca Nationali Florentina inter alias editiones raras etiam editionis Romanae Tullianorum librorum q. i. „De oratore“, „Brutus“, „Orator“ exemplar asservatur hac subscriptione exornatum: *M. T. Ciceronis in Brutum explicit liber. Anno XPI MCCCCLXIX. die vero. XII. mensis Ianuarii Rome in domo magnifici viri Petri de Maximo.* Quod exemplar olim in Bibliotheca Laurentiana (plut L cod 14 cf. Bandinii catalogum) asservatum, nunc in Bibliotheca Nationali Florentina signo A II 16 insignitum, quippe quod sane multas Angeli Politiani notas marginales contineat, certe dignum est quod indagetur a futuro Ciceronianorum opusculorum editore.¹ Inter notas enim Angeli Politiani manu perscriptas non solum quasdam hucusque ignotas lectiones codicum a clarissimo viro excerptorum, sed etiam ipsius humanistae coniecturas expiscari poterit. Quae omnia nosse procul dubio operae pretium videtur esse.

Atque in centum triginta quidem notas ab Angelo Politiano in margine textus dialogi q. i. „De oratore“ — hunc enim campum pervestigandum nobis elegimus — perscriptas inquirenti primum statuendum est sane multas inter eas esse quibus signa ut (i. e. vel), at (i. e. alii), alr (i. e. aliter) ab Angelo Politiano praemissa sint. Quibus signis praefixis indicare nimirum Politianus voluit lectiones a se afferri e variis² codicibus delibatas. Non desunt tamen loci, quibus notae nullo signo praecedente nude ponuntur lectionesque hucusque plane ignotae apparent. Quibus fere omnibus locis non de lectionibus ex ignotis quibusdam codicibus ab Angelo Politiano depromptis, sed de ipsius humanistae Tullianum textum corrigere temptantis conaminibus agi recte suspicari potes.

Sed iam ad rem accedamus necesse est. Atque exordium quidem sumendum est ab iis locis, quibus manifesta editionis Romanae (apud nos Z audit) menda lectionibus bonorum codicum in margine ed. Z a Politiano allatis corriguntur, omissiones editionis Z per errorem factae suppleuntur: P. 14, 26³ haec ergo Z: vel ego Pol. C⁴; p. 20, 9 nominabantur Z: nominarentur Pol. C; p. 21, 37 eloquentissimos tamen Z: eloquentissimos autem Pol. C; p. 23, 34 *vocabulum gymnasium per errorem omissum Z: inseruit Pol. in margine*; p. 24, 14 ut *perperam omissum Z: inseruit Pol. in margine*; p. 32, 10 orationem *per errorem omissum Z: ins. Pol. in margine*; p. 36, 36 Si quando-cumque Z: Si quemcumque Pol. C. (*sine si praebet M*) p. 75, 1 profecto Z: profecto Pol. C; p. 90, 36 aliisque Z: alique Pol. C; p. 119, 2 carpere Z: serpere Pol. C; p. 140, 13 *vocabulum Scaurus per errorem omissum Z: inseruit Pol. in margine*; p. 140, 28 Pu-

gionis Z: *aliter* Phrighionis Pol. C; p. 150, 19 tamen Z: cum Pol. C (*tantum rece*) p. 156, 14 verbis Z: *alii* rebus Pol. C; p. 163, 10 ablatis Z: allatis Pol. C; p. 168, 13 oratio Z: ratio Pol.¹⁵ C; p. 172, 2 ita *perperam omisum* Z: *inseruit* Pol. C; p. 183, 23 esse *per errorem omisum* Z: *inseruit* Pol. C; p. 184, 90 tractatu *per errorem omisum* Z: *inseruit* Pol. C; p. 192, 30 partita ac *per errorem omisum* Z: *inseruit* Pol. C; p. 196, 4 tam *per errorem omisum* Z: *inseruit* Pol. C; p. 199, 27 distraxit Z: abstraxit Pol. C; p. 210, 20 quo me Z: quove Pol. C; p. 213, 8 prope Z: probe Pol. C; p. 216, 33 deprehensio Z: reprehensio Pol. C; p. 222, 4 aptanda Z: optanda Pol. C; locis supra citatis adiungendi sunt ii quibus mendosis lectionibus editionis Z et cod. R bonae lectiones bonorum codicum in margine a Politiano allatae opponuntur: p. 19, 5 dicendi ZR: discendi Pol. C. (praeter R) p. 155, 32 Feriunt ZR V²: Ferunt Pol. C; p. 201, 28 aut fiunt ZR: ac fiunt Pol. C (praeter R). Quattuor locis depravatae lectiones editionis Z et codicum recentiorum refelluntur lectionibus bonorum codicum in margine collocatis p. 156, 3 ad cuius Z Lagomarsiniani⁶ 3, 4, 5, 6, 14, 16, 20, 23, 32, 35, 65, 67, 70, 73, 76: ad cuiusque Pol. LH (aliquo usque E) p. 159, 4 ingentibus Z Lag. 5, 6, 20, 23, 35, 65, 67: agentibus Pol.¹¹ C; p. 204, 34 oratori Z Lag. 14, 23, 69; orationi Pol. C; p. 208, 21 iactantia Z Lagomars. 3, 6, 14, 69; iacentia Pol. C. Duobus tandem locis coniecturae, ut videntur, editoris Romani facile refutantur lectionibus bonorum codicum allatis: p. 16, 37 ille ipse a quo ante cognorit Z: *vel* ille ipse unde cognoverit Pol. C; p. 204, 15 stercus rei publicae Z: stercus curiae Pol.¹¹ C; Uno tantummodo loco proterva editoris Romani interpolatio, quae in nullo hucusque noto codice deprehenditur, diserte ab Angelo Politiano in margine editionis Romanae laudatur. Etenim p. 202, 34 in omnibus codicibus recte legimus: *aut quo significetur magis res tota sive facti alicuius sive consilii, ut ille* eqs. Hoc loco editor Romanus post vocabulum *consilii* duo vocabula *aut minus* suo ut videtur Marte inseruit, Politianus autem in margine haec adnotavit: *nonnulli textus carent ista particula aut minus, quae tamen bonum habet sensum*. Nimirum Politianus, quippe qui codicum bonorum non ita amplam notitiam habuisset, istud editionis Romani supplementum in bonis codicibus tradi putabat.

Nunc ad eos locos transeamus enumerandos, quibus Z aut omnium aut maioris partis bonorum codicum lectiones tradit, Politianus autem in margine lectiones singulorum recentiorum librorum manu scriptorum enotat: p. 16, 30 sin quae ZL (praeter R): sin qua Pol. R (etiam ed. Lambiniana): sin aliqua M; p. 20, 8 tamen hoc ZC: vel cum hoc Pol. Lag. 3, 6, 16, 17, 21, 23, 65, 67, 71, 73, 86: p. 41, 9 hominis ZC: nominis Pol. Lag. 32: p. 62, 10 discendi ZC (praeter R): dicendi Pol. R: p. 88, 22 et mediocris orator esse ZL: ad mediocris oratores esse Pol. D; p. 148, 7 in quoque ZL: quemque Pol.¹¹ R; p. 152, 34 capit CZ: cupit Pol.¹¹ R; p. 164, 7 concessu CZ: consensu Pol.¹¹ Lag. 6, 20, 35, 75; p. 167, 33 perspecta CZ: perfecta Pol.¹¹ R; p. 167, 34 orationis ZVO¹: oratoris Pol.¹¹ PDR: p. 209, 37 frequentem ZC: frequenter Pol. H¹ R Lag. 32. P. 215, 1 post vocabulum *moveantur* leguntur in editione Z sicut in omnibus bonis codicibus verba *ut iis* eqs.; Politianus in margine post vocem *moveantur* interpolata ab humanistis verba⁷ intrudit haec: *sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam sententiis vero ad gravitatem orationis utatur*. Quae verba eodem loco interpolata leguntur etiam in Lag. 3, 4, 6, 32 (manu secunda) 67, 83⁸.

Cum editor Romanus Z mixtum ut ita dicam textum praebet, partim familiae M partim vero familiae L morem gerens, iis locis, quibus Z lectiones familiae L lectionibus familiae M praetulerat, Politianus in margine editionis lectiones e codicibus familiae M excerptas tradidit. Insignis locus est p. 7, 4 ubi Z vitiosam familiae L lectionem *eodem socerum eius* exhibet, Politianus autem cum recte vidisset textum editionis Z corruptum esse auctoritate „antiquissimi cuiusdam libri“ nisus lectionem

familiae M lectoribus commendavit haec adnotando: „Textus iste non videtur correctus; neque aut Grammatices aut elocutionis habet rationem, sed ut in antiquissimo quodam libro inspexi, ita est legendus, ubi ita se textus habet: *venisse eodem socer eius qui fuerit Q. Mutius dicebatur et M. Antonius*“. Ceterum nulla certe est causa, cur fidem verbis Politiani derogemus se antiquissimum quandam codicem inspexisse affirmanti; facile enim fieri potuit, ut ei varios codices manu versanti etiam unum ex antiquissimis familiae M codicibus (i. e. HEA) inspiciere obtigerit. Alii loci quibus Politianus lectiones familiae M in editionis Z margine exaravit sunt hi: p. 142, 1 exercitationes ZL: execrationes Pol^{nl} MR; p. 147, 34 vel utroque vel ZVOP: vel utroque loco vel Pol MDR; p. 151, 10 in his fere decem ZVOPRD: decem Pol M; p. 159, 7 conservata ZV^{mg} O^{mg} PDR: conversa Pol^{nl} M; p. 100, 22 paulo sciebam ZV¹ O¹ P: paulo ante sciebam Pol MDR; p. 201, 5 Etiam hoc ZL: Itaque Pol M: p. 206, 4 cum ZL: quo Pol^{nl} M; p. 210, 5 immutat ZL: invitat Pol^{nl} M: p. 210, 22 Ennius ZL: Fannius Pol M. P. 210, 32 Nam neque ZL: Namque M. Politianus recte adnotat: *nonnulli textus namque habent, et melius*.

Restat ut commemoremus lectiones familiae L in margine a Politiano allatas lectionibus editioni Romanae bis opponi: p. 181, 33 paulum Z paululum Pol L: p. 203, 25 rationis ZH Lag 2, 4, 13, 32: orationi Pol L.

Sed iam rebus maioris momenti enotandis nos accingi oportet. Etenim multis locis Politiano codices expilanti ignotarum aliunde lectionum notitiam debemus. Ne tamen lector laetetur pretiosi sibi quidquam proponi credens, praemonendum est omnes fere has aliunde ignotas lectiones e libris manu scriptis procul dubio recentioris aevi eisdemque depravatis a Politiano depromptas esse. Quod ita sese habere unusquisque certe concedet, serie harum lectionum a Politiano citatarum perlustrata: p. 39, 10 cuius pecuniae ZC: quis pecuniae Pol^{nl}; p. 142, 8 expectationibus ZC: expectantibus Pol^{nl}; p. 151, 18 apertius ZC: aptius Pol^{nl}; p. 154, 13 probaturos ZC: prorobaturos Pol^{nl}; p. 157, 5 evolutum ZC: evellatum Pol^{nl}; p. 157, 18 in eum ZC: in primum Pol^{nl}; p. 177, 13 voluntate sua ZC: voluntates suas Pol^{nl}; p. 188, 8 non posse ZC: non potest Pol^{nl}; p. 193, 13 procedenda ZVDO^{mg}P: procludenda H procludenda A providenda E: postcludenda Pol^{nl}; p. 201, 20 liberiora ZC: liberaliora Pol^{nl}; p. 216, 3 declinatio ZC: dedignatio Pol^{nl}; p. 217, 3 immutatio ZC: invitatio Pol^{nl}. Huic depravatarum lectionum seriei certe opponi possunt quattuor loci, quibus Politianus ignotas hucusque lectiones in medium profert quae pro coniecturis habendae sunt a viris litterarum renatarum aetate florentibus, qui textum Tullianum corrigere temptaverant, excogitatas. Ac primum quidem afferendus est locus: p. 155, 26 ubi in omnibus codicibus (etiam in ed. Z) haec leguntur: *sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues ac pro nihilo putantur, et in excogitando vis quaedam ingenii et ipsa eloquentia admirationis habet non minus, iucunditatis minus*. Ad verba *habet non minus* adnotat Politianus: *alii non multum*. Quae lectio *non multum* procul dubio coniectura est humanistae cuiusdam cui vocabulum *minus* eadem sententia bis repetitum scrupulum movit. Neque aliter iudicandum est de loco p. 162, 16, ubi editio Z cum omnibus codicibus conspirans *videndum* praebet, Politianus autem: *alii providendum* adnotat viri cuiusdam nimirum coniecturam afferendo, compositum verbum simplici praeferentis. Simili modo res sese habet cum loco p. 211, 10/11, ubi codices familiae M genuinum textum praebent: *quod hominum aures (auris E) vocem natura modulantur ipsae (ipse, ipse E)*, cum editor Romanus textum suum ad exemplar familiae L sic conformet: *quod hominum aures vocem naturae modulantur ipsae*. Quem locum aetate renascentium litterarum multis temptatum esse coniecturis testatur cum lectio in codicibus Lagomarsinianis p. 4, 13, 23 obvia *quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa*, quam Pearce, Schuetz, Orelli, Henrichsen,

Ellendt probaverunt, tum ea quae in vetere quodam codice Stephani legebatur *quod hominum vocem natura modulatur ipsa*, quae Lambino placuit nec non ea quae in codice Lag 2. tradita est *quod hominum aures natura modulantur ipsa*, quae Victorio, Manutio, Stephano, Grutero arrisit.⁹ His omnibus virorum litterarum resuscitantium aetatis temptaminibus certe adnumeranda est coniectura quam ex quodam codice illius aetatis Politianus delibavit haec adnotando: *alii hominum auribus vocem natura moderatur ipsa*.¹⁰ Non aliter censendum esse puto de loco p. 208, 12 ubi ad lectionem *insistimus* in omnibus codicibus nec non in editione Z obviam Politianus *alii instutuemus* (sic!) adnotavit.

Restat ut ad ipsius Politiani coniecturas et notas criticas recensendas transeamus. Ac primum quidem citandus est locus p. 10, 10 ubi familia L bonum textum *sed nutu atque verbo libertinos* tradit, cum Z una cum familia M mendosum *nuda atque verbo libertinos* praebet. Locum alii humanistae aliter corrigere conati sunt. Lag 3 et 24 pro „libertinos“ „liberrimo“, Lag 4 *humili*, Lag 65 *vulgari* habent, Lag 76 pro „verbo libertinos“ „liberrimo verbo“ affert.¹¹ Politianus cum in editione Z *nuda atque verbo libertinos* legeret, post vocabulum *verbo* vocem *liberrimo* inserendum esse putavit. P. 22, 2 cum textus editionis Z pro bona codicum lectione *innumerabilis quosdam nominabat* mendose *innumerabilis quosdam habere nominabat* traderet, Politianus in margine suaviter ut aut *dicebat* pro *nominabat* scriberetur aut (quod rectum est) infinitivus *habere* tolleretur. Non minus vitiosum textum praebat Z: p. 44, 22 *omnia que* (genuina lectio *omniaque quae*). Politianus cum videret textum editionis Z claudicare, veram autem lectionem ignoraret post omnia <vero> suppleendum esse censuit. Neque aliter egit, cum p. 48, 14 pro mendose in editione Z tradito *postulari* scribendum esse *postulari* existimaret, cum genuina lectio codicum *postulet* nimirum ei ignota fuisset. P. 52, 20 Z una cum Lag 14, 15 coniecturam *profiteantur* (fateantur C) praebet; Politianus in margine suo, ut videtur, Marte *confiteantur* proponit. P. 77, 14 pro et in margine ac collocat. P. 88, 20 codices M textum sic tradunt: *Tantum ego in eccellente oratore et eodem bono viro pono esse ornamentum universae civitati*. Eadem habent codices familiae L, nisi quod *excellenti* pro *excellente* ponitur, verba autem *bono viro* in verso ordine leguntur. Attamen in editione Z voce *bono* per errorem typhetae omissa, sententia omnino sensu caret. Cui rei ut medicinam adhiberet, Politianus litterula *p* erasa vocem *pono* in *bono* commutavit, post vocabulum autem *civitati* signum ponit, cui in margine respondet notula, qua significavit secundum suam opinionem praedicativum hic suppleri debere: *intelligo sive sentio*. P. 90, 28 displicuit ei locutio *uberiore filo*, cuius sensum videlicet non plane intellexit, coniecturamque minime necessariam excudit: *uberiori stilo*. P. 102, 6 error hypothetae Romani, qui vocabula *ob rem* omisit ansam Politiano dedit vocis *quam* sine vocabulis *ob rem* sensu nimirum carentis in *quod* corrigendae. Minime necessariae sunt duae subsequentes Politiani coniecturae p. 107, 35 *incudinem* pro *incudem*, p. 109, 10 *eventibus* pro *eventis* temptantis. P. 140, 26 editio Z pro bono *quid* (C) perperam *id* praebet; Politianus ut loco corrupto medeatur, post *id* <quod> addendum esse putat. P. 189, 8 iterum *stilo* pro tradito *filo* conicit. P. 190, 26 codices familiae L nec non editor Z (familia M hoc loco deficit) textum hucusque nondum sanatum praebent: *Atque hactenus loquantur¹² etiam hac¹³ instituendo divisione utuntur*. Qui locus cum claudicaret, multi inventi sunt qui textui medicam manum admoverent. Hotomannus sane audacia non caruit, cum proponeret ita legendum esse: *Atque hactenus loquantur illi*. *Quamquam rhetores etiam hac* eqs. Ellendtius paulo moderatior fuit sic coniectando: *Atque hactenus illi*. *Hac etiam*, Orellius crucem infixit: *Atque hactenus + loquantur*. *Etiam hac*. Kayser vocabula *hactenus loquantur* omnino secludenda esse putavit. Cui viro docto adstipulati sunt recentissimi editores: Friedrichium

Wilkinsium Rackhamium dico. Attamen inter tot virorum doctorum conamina certe non omnino neglegenda mihi videtur coniectura Politiani, qui post *hactenus* <cum> inserendum esse putavit totamque sententiam ita conformavit: *Atque hactenus cum loquantur, etiam hac* eqs. P. 193, 21 textus in omnibus libris manu scriptis sic traditur: *atque etiam aut inridentes oratorem ut ille in Gorgia Socrates cavillantur*. At Politianus putabat participium *inridentes* obiecto carere, itaque post *aut* <haec> supplendum esse duxit. P. 198, 30 pro genuino *accierit* thypothesa Romanus perperam *aiierit* impressit; quod manifestum mendum Politianus sanare conatur, in margine *asserit* adnotando. Magnopere desudavit Politianus in loco p. 216, 4 recte distinguendo. In editione Z textus ita traditus est: *premonitio etiam est ad id quod adgrediare et traiectio in alium communicatio*. Politianus *etiam* in *et* commutavit, copulam *et* vocabulum *traiectio* antecedentem expunxit, ante vocabula *in alium* <et> inseruit totumque locum ita conformavit: *praemonitio et est ad id quod aggrediare traiectio et in alium communicatio*. In margine sinistro hanc notulam collocavit: *hunc textum ego sic corrigendum duxi quamvis alii non ita se haberent*. Sed postea denuo omnes correcturae erasae sunt in textu, ut nunc legantur haec: *premonitio: et est ad id: quod aggrediare: et traiectio, in alium communicatio...* P. 218, 7 *Huic primas dedisse Demosthenes dicitur*: praebent omnes codices nec non editor Romanus; Politianus post *dedisse* <partes> inserendum putat. Minime necessaria est etiam coniectura p. 219, 4 ubi Politianus *quaeque* pro *quoque* proponit.

Notis Politiani marginalibus perlustratis nos haudquaquam, ut aiunt, oleum et operam perdidisse credimus. Quamquam enim ex Angeli Politiani coniecturis et ex lectionibus aliunde ignotis ab eo allatis non multum sane redundabit ad textum Tullianum rite constituendum, tamen ad artis criticae, quam clari litterarum renatarum aevo in Italia florentes viri exercuerunt, arcana melius cognoscenda notas illas haud sane parvi momenti fore pro certo haberi potest.

¹ Ipse exemplar in manibus non habui; collatione utor a. 1912 ab *Ioanno Stroux* confecta. Quam ut inspicerem et luci facerem, benigne permisit Academia Scientiarum Germanica, cui hoc loco debitas grates persolvo.

² Politianum varios codices inspexisse testatur notula ad p. 203, 30 editionis Friedrichianae collocata: *hic omnes quos vidi textus differunt, alii enim duci non induci habent et idem non itidem et alia.*

³ Paginae et versus citantur secundum Friedrichii editionem Teubnerianam (a. 1902).

⁴ Littera C designatur consensus omnium bonorum codicum utriusque familiae. C = M (AHE) et L (VOPRD). A = Abrincensis 238, H = Harleianus 2736; E = Erlangensis 848; V = Vaticanus 2901; O = Ottobonianus 2057; P = Palatinus 1469; R = Palatinus 1470; D = Cod Cornell-University B 2. Quos codices omnes ipse denuo contuli.

⁵ Signo Polst eae Politiani notae marginales indicantur, quibus litterulae *al* (i. e. alii) a Politiano praefixae sunt.

⁶ Cf. apparatus criticum Ellendtii ad h. l.

⁷ Cf. *J. Stroux* Handschriftliche Studien zu Cicero de oratore, Basel 1921 p. 132 sqq.

⁸ Eadem verba post vocabulum „versantur“ in cod V a manu secunda V, in cod O in marginem relegata, in codicibus DR in textu post versantur legantur. In aliis codicibus bonae notae (HAEP) omnino desunt.

⁹ Cf. praeterea apparatus criticum Ellendtii ad h. l.

¹⁰ Ceterum adnotandum est eandem coniecturam etiam in cod. Erlangensi 303 legi cf. apparatus Friedrichii ad h. l.

¹¹ Cf. apparatus Ellendtii ad h. l.

¹² *loquuntur* praebent nonnulli recentiores cf. Ellendtii commentarium ad h. l.

¹³ Ante *instituendo* Ernesti recte <in> inseruit, quem omnes postea editores secuti sunt.